

<https://www.thelatinlibrary.com/plautus/captivi.shtml>

quid me patrem par facerest, cui ille est unicus?

**ERG.** Alienus ego? alienus illi? aha, Hegio,  
numquam istuc dixis neque animum induxis tuom;  
tibi ille unicust, mi etiam unico magis unicus. 150

**HEG.** Laudo, malum cum amici tuom ducis malum.  
nunc habe bonum animum. **ERG.** Eheu, huic illud dolet,  
quia nunc remissus est edendi exercitus.

**HEG.** Nullumne interea nactu's, qui posset tibi  
remissum quem dixti imperare exercitum? 155

**ERG.** Quid credis? fugitant omnes hanc provinciam,  
quo optigerat postquam captust Philopolemus tuos.

**HEG.** Non pol mirandum est fugitare hanc provinciam.  
multis et multigeneribus opus est tibi  
militibus: primumdum opus est Pistorensibus; 160  
eorum sunt aliquot genera Pistorensium:  
opus Paniceis est, opus Placentinis quoque;  
opus Turdetanis, opus Ficedulensibus;  
iam maritumi omnes milites opus sunt tibi.

**ERG.** Vt saepe summa ingenia in occulto latent; 165  
hic qualis imperator nunc privatus est.

**HEG.** Habe modo bonum animum, nam illum confido domum

...